



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 71. Aliud Cæsaris postulatum circa uxores Sacerdotibus reversis  
relinquendas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

§. LXXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

*Aliud Cæsaris postulatum circa uxores Sacerdotibus reversis relinquendas.*

Verum summus Pontifex minus se indulgentem exhibebat, cum Ferdinandus Imperator insuper ab eo peteret, ut Sacerdotibus, qui a fide deficientes matrimonio sese junxerant, tunc vero ad sinum Ecclesiæ revertebantur, uxores suas retinere liceret: nam gravia, quæ ex ejusmodi concessione pullarent, incommoda Pontifex longe melius, quam hic Princeps, penetrabat, ac probe prospiciebat, quod hæc indulgentia Sanctuarii Ministros ab assidua muneris sui sollicitudine, ac studio plurimum averteret, cum hi ad cumulanda sua bona, prolesque divitiis augendas duntaxat carnis, & Sanguinis rationem habituri, ac imposterum Beneficia jure quasi hæreditario ad posteros

*Thuan. l. 36.  
nam. 9.  
Pallav. l. 24.  
cap. 12. n. 9.*

*Raynaldus  
hoc ann.  
num. 29.*

taque indies graviora orientur incommoda, B. Pius quintus, qui immediate in Pontificatu Pio IV. successit, ac Gregorius postmodum XIII. concessionem illam penitus revocarunt, servatumque a pluribus sæculis usum sub altera tantum specie communicandi laicis restituerunt.



Sæcul. XVI

A.C 1564

ros transmissuri essent, eo quod Pater, ut Filium eadem dignitate, qua ipse fruitur, auctum cerneret, unice curaturus foret: insuper perpendebat Pontifex, quod quoad cœlibatum, quamvis jure divino sacris Ordinibus non sit annexus, nullaque divina lex extet, quæ conjugatos Sacerdotio insigniri, vel Presbyteros conjugio copulari prohiberet, lex tamen Ecclesiastica, quæ Clericis cœlibatum præscribit, adeo vetus, omnique auctoritate communita sit, ut illam vel minime labefactare nefas foret: quapropter Pontifex hanc gratiam concedere renuit, atque ipsa præmatura mors, qua Ferdinandus die vigesima quinta Julii vivis ereptus est, rursus preces suas urgendi spatium eidem præripuit.

§. LXXII.

*Iteratæ Maximiliani II. preces circa Sacerdotum conjugia.*

Thuan. 68  
Rayn. l. c.

Nihilominus Maximilianus II. Ferdinandi Cæsaris Filius, qui eidem successerat, obtento vix Imperio rursus hæc preces exposuit, ac vehementibus literis Papam urgebat. Data est novi hujus Cæsaris epistola die vigesima quinta Novembris, in qua Pium IV. rogabat, ut de severitate circa Sacerdotes